

- 85. Ex quo habet congruentiam, ob quam Christus conjugem fidelem potius ab obligatione cohabitandi cum uxore infideli liberauerit, quam seruum infidelem ab onere seruituti domino infideli, ut enim ibidem in resp. ad 1. ait idem Doctor Angelicus, seruire non est aliquid incompetens Christiane Religionis professioni, que maxime humilitatem profertur; sed obligatio ad actum Matrimonii derogat perfectioni vite Christiane, cuius summum statum continentem possident. Præterea, addit S. Doctor, unus conjugum non obligatur alteri, quasi domino seruus, sed per modum societatis cuiusdam, que non est congea, si fit infidelis ad fidelem.
- 86. Dixi vero, liberum esse conjugi fidelem remanere cum conjugem infideli, vel ipsum dimittere, & non cohabitare cum eo; quia licet per conversionem ad fidem, solvatur ab obligatione cohabitandi cum conjugem infideli, potest tamen, si velit, cum eo remanere, immo id consilium Apostolus 11 ad Corinth. 7. dicens: *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hoc consentit habitare cum illo, non dimittat eam. Et si ipsa mulier fidelis habet virum infidelem, & hoc consentit habitare cum illo, non dimittat virum: sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificatus est mulier infidelis per virum fidelem, quia nimirum conjugis fidelis, sua exhortatione & exemplo, sepe conjugem infidelem ad fidem & professionem Christianam, per quam sanctificatur, inducit.*
- 87. His præmissis, duplex est difficultas breviter hic resolvenda. Prima est, an per conversionem alterius conjugis ad fidem, dissolvatur Matrimonium consummatum inter infideles, non solum quoad habitationem & thorum, sed etiam quoad vinculum conjugale, ita ut utriusque liberum sit ad secundas nuptias convolare? Secundo queritur, quo tempore solvatur Matrimonium fidelis converti cum infideli nolente converti, an statim atque ille convertitur, & baptismum suscipit, vel solum quando transit ad secundas nuptias, & aliud Matrimonium reipsa contrahit? Pro resolutione fit

§. I.

Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur.

Dico primo: Matrimonium infidelium etiam post consummationem, dissolvi potest, etiam quoad vinculum conjugale, si alter conjugum convertatur ad fidem, & alter velit pacifice & sine contumelia Creatoris habitare cum illo, scilicet vero, si alter velit pacifice & sine scandalo cohabitare.

88. Prima pars huius conclusionis certa est, & ab omnibus Theologis admittitur, habeturque cap. *Quarta*, de divortio, ubi Innocentius III. ait: *quod si alter infidelium conjugum, ad fidem Catholicam convertatur, & alter, vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel non cum perverbia ad mortale peccatum, ei cohabitare voluerit, ad secundas, si voluerit, non transire possit.*

89. Colligitur etiam ex Apostolo 1. ad Corinth. 7. ubi primum de Matrimonio contracto inter Christianos loquitur: *Ita autem qui Matrimonium iuncti sunt, præcipio, ut unus ego, sed Dominus, uxorem ac vira non discedat, quod si discesserit, maneat in nuptiis, ac vira suo conciliari, et vira uxorem non dimittat.* Deinde de Matrimonio ab infidelibus contracto subiungit: *Nam reteris ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem, & hoc consentit habitare cum illo, non dimittat eam. Et. Quod si infidelis discedat, discedat & non enim servituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi: Propositio autem indefinita æquivalens universali, atque adeo sensus est, nulli priorum servituti, neque videlicet quoad habitationem, & thorum, neque quoad vinculum, remanere conjugem fidelem subiectum in illo casu maxime cum, etiam non discederet conjux infidelis a conjugem fidelem, sed consentiret cohabitare, etiam absque injuria Creatoris, non esset frater aut soror fidelis subiectus servituti cohabitandi, & officia conjugalis præstandi, quia non est preceptum, sed tantum consilium cohabitare in tali casu cum conjugem fidelem, ut constat ex supra dictis.*

Secunda pars conclusionis est contra Bellarminum, Copinkum, & alios recentiores, eximiantes solvi posse quantum ad vinculum Matrimonium fidelis converti ad fidem Christianam, cum infideli nolente converti, etiam in eocalu quo conjux remanens in infidelitate, vult cohabitare pacifice, & sine contumelia Creatoris. Est tamen D. Thomas hic quest. 59. art. 5. in corp. ubi sciat: *Quando alter conjugum ad fidem convertitur, altero in infidelitate remanente distinguendum est, si quis infidelis vult cohabitare sine contumelia Creatoris, id est sine hoc, quod ad infidelitatem inducat, potest fidelis libere discedere, id est ab ea separari quoad cohabitacionem & thorum. Sed discedere non potest alteri nubere. Si autem infidelis non vult cohabitare sine contumelia Creatoris: in verba blasphemiam prosumpta, & nomen Christi audire nolit, tunc si ad infidelitatem pervertere nitatur, vir fidelis discedens, potest alteri per Matrimonium copulari.*

Idem colligitur ex cap. *Gaudemus*, de divortio, ubi expressè dicitur, conjugem ad fidem Christi convertum, non posse aliam ducere uxorem, defendendo primam, nisi post conversionem ipsius, illa renuat habitare cum ipso, aut etiam si consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris. Et cap. *Quarto*, eodem titulo, exprimitur tantum hic duo casus, in quibus licet conjugi ad fidem converti, ad secundam, si voluerit, transire Matrimonium, *si alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero, vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel non cum perverbia ad mortale peccatum, ei cohabitare voluerit: Ergo id non potest, si alter velit pacifice, & sine scandalo, & contumelia Creatoris, cohabitare.*

Ratio etiam id statuit: Christus enim hoc privilegium infidelibus concessit non concessit, nisi in gratiam fidei, que tunc non periclitatur, & ne cogatur aut perpetuo coalescere post conversionem, aut habitare cum conjugem scandaloso, & conante ad infidelitatem pertrahere: quod non habet locum, cum conjux infidelis pacifice & sine contumelia Creatoris cohabitare consentiat.

Dico secundo: Matrimonium fidelis converti, cum infideli nolente converti, nec cohabitare pacifice, & sine contumelia Creatoris, non dissolvitur, nisi quando convertus reipsa contrahit aliud Matrimonium. Est contra Hostiensem, Alfiodorenses, Angelum, & alios, eximiantes tale Matrimonium solvi statim atque ille convertitur, & suscipit Baptismum. Est tamen D. Thomas hic quest. 59. art. 5. ad 2. ubi hæc scribit: *Crimen uxoris nolentis cohabitare sine contumelia Creatoris, absolvitur, cum a servitute, qua tenetur uxori, ut non possit ea vivente aliam ducere: sed nendum solvit Matrimonium, quia si illa converteretur, antequam ille aliud Matrimonium contraheret, rediret ut vir suus, sed solvitur per Matrimonium sequens, ad quod pervenire non possit vir fidelis, nisi solutus a servitute uxoris sue, per culpam ejusdem.*

Colligitur etiam manifestè hæc veritas ex cap. *Gaudemus*, de divortio, ubi Innocentius III. respondet, si conjux infidelis convertatur ad fidem priusquam fidelis convertus aliud Matrimonium inierit, compellendum esse istum, ut compartem recipiat: Sed non esset compellendus, si Matrimonium in ipsa conversione dissolutum fuisset, jam enim conjux illius non esset: Ergo Matrimonium illud in ipsa conversione conjugis fidelis non dissolvitur, sed solum quando ille novum contrahit Matrimonium. Unde sicut solvitur Matrimonium ratum Christianorum per professionem in Religione approbata, & non prius, uno alterum quasi formaliter destruentis sic prius Matrimonium fidelis converti cum infideli, in infidelitate contractum, & consummatum, cessat eodem instanti quo fidelis convertus reipsa aliud contrahit, & non prius.

Ex

- 97. Ex quo inferes primo, infidelis contrahere invalide cum alio, priusquam fidelis convertus, ad alias nuptias transierit, quia vinculum cum fidelis convertito, non dissolvitur per Matrimonium infidelis, in conjugem gratiam non fuit concessum hoc privilegium, sed solum per Matrimonium fidelis converti, in conjugem gratiam tale privilegium a Christo concessum est: Sed manente vinculo prioris Matrimonii, non potest infidelis valide aliud contrahere: Ergo nec potest valide contrahere, donec fidelis ad alias nuptias convolarit.
- 98. Inferes secundo: Si post secundum Matrimonium a fidele initum, contingat priorem ejus uxorem converti, & secundam mori, non tenetur ad primam redire, quia extinctum fuit vinculum prioris Matrimonii, & eo extincto, nulla manet obligatio cohabitandi vel inveniendi de novo conjugium.
- 99. Inferes tertio, fidelem convertam non posse secundas nuptias inire, nisi postquam illi constat de pertinacia conjugis nolentis converti, aut cum eo pacifice & sine contumelia Creatoris habitare, cum ea sola pertinacia det illi jus restitendi a priori Matrimonio, & aliud contrahendi: Ex quo sequitur, teneri eum prius alterum monere & invitare ad fidem, quia alio non potest illi constare de alterius pertinacia. Excipit tamen casum, quo hæc monitio esset valde difficilis, & moraliter impossibilis, puta quia infidelis profectus est in regionem longinquam, neque spes est conveniendi intra tempus notabile: vel quia nescitur quo abierit, aut quid de illo factum sit. Quæ de causa Pius V. motu proprio, quem citat Sanchez lib. 7. disp. 74. n. 12. definit, Indos Occidentales ad fidem convertos, qui scire non possunt quid actum sit de conjugem quem infidelem reliquerunt, potest manere in conjugio quoad post conversionem contraxerunt. Idem concecit Gregorius XIII. per Angelicis, Athiopicis, Brasiliensibus, & aliis Indorum nationibus: cuius concessio litteras refert Pont. us lib. 7. de Matrim. cap. 48. n. 23.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primo contra primam conclusionem, Matrimonium fidelium, altero conjugum lapsio in hæresim, & nolente habitare cum fidelis sine contumelia Creatoris non solvitur quoad vinculum conjugale, sed solum quoad thorum & habitationem: Ergo etiam Matrimonium infidelium, quando unus convertitur ad fidem & alter non vult pacifice, & sine contumelia Creatoris habitare cum eo, solvitur dumtaxat quoad thorum & habitationem, non vero quoad vinculum conjugale. Consequenter videtur legitima, ex paritate rationis, nam in primo casu non minor reperitur contumelia Creatoris, neque minus molesta, aut periculi timetur a conjugem lapsio in hæresim, & alterum secum in errorem pertrahere conante: Ergo si hoc non obstat non solvitur vinculum conjugale, non solvitur etiam quando unus ex conjugibus infidelibus convertitur ad fidem, & alter non vult pacifice & sine contumelia Creatoris cohabitare. Antecedens vero est certum de fide, ac definitum in Tridentino sess. 24. can. 5. his verbis: *Si quis dixerit propter hæresim, aut molestiam cohabitacionem &c. dissolvi posse Matrimonii vinculum, anathema sit.* Idemque antea declaraverat Innocentius III. cap. *Quanto*, de divortio, ubi sic ait: *Si alter fidelium conjugum, vel labatur in hæresim, vel transiret ad gentilium errorem: credimus quod in hoc casu is qui relinquitur, vivens altero, possit ad secundas nuptias convolare.*

101. Respondeo, concessio Antecedente, negando consequentiam & paritatem; magnum enim reperitur discrimen inter Matrimonia contracta in infidelitate, & contracta post baptismum; que enim contrahuntur in infidelitate, non sunt sacramenta, sicut illa que contrahuntur post baptismum, & ideo magis dissolvi possunt: unde non mirum quod non solvatur Matrimonium Christianorum, cum alter conjugum fideliu labitur in hæresim, & non vult habitare cum altero sine contumelia Creatoris; bene tamen Matrimonium infidelium, quando unus convertitur ad fidem, & alter non vult habitare pacifice & sine contumelia Creatoris. Alia etiam ratio discriminis reddi potest, nam quando unus conjugum infidelium ad fidem convertitur & suscipit Baptismum, alter vero remittit idem facere, neque vult pacifice cohabitare, Ecclesia que non habet potestatem circa infideles, non potest istum cogere censuris & penis ad cohabitandum pacifice, & conjugi iure efficaco succurrere. Ex quo fit ut nisi solvatur vinculum Matrimonii, deberet conversus vel manere perpetuo in statu cohabitatus, vel pati rixas perpetuas, & continua scandala, periculumque subire fidei amittende. Quod incommodum gravissimum est, multoque sine dubio a suscipienda fide Christiana retardat, nisi Christus illi providisset. Secus autem est de conjugem baptizato in hæresim lapsio, nam ratione Baptis-

mi & characteris, qui est indelēbilis, manet semper Ecclesie legibus subiectus, & ab illa compelli & puniri potest, etiam morte corporali, nisi ad frugem redeat.

Objicies secundo: Si Matrimonium infidelium in lege Evangelica solvi possit per conversionem alterius conjugis ad fidem, sequitur quod etiam dissolvi potest ante legem Evangelicam, per conversionem alterius conjugis ad Judæismum, verum Deum colentem; rationes enim quibus utuntur Theologi ad probandum talem dissolutionem in lege Evangelica, nimirum quod multi revocarentur a professione Christiane Religionis, si intelligerent, discedente conjugem infideli, esse ipsi servandum cohabitatum. Quod infideles per Baptismum regenerantur ad novam vitam, subindeque non tenentur ad id quod ejus pervasione obstat, quale est obligatio ad actus Matrimonii, ut supra cum D. Thom. dicebamus. Quod Matrimonii vinculum est relatio æquiparantia inter socios: congruum autem non est, quod infideles sint socii, & pares cum fidelibus; hæc, inquam, rationes, æque procedunt de Matrimonio infidelium ante legem Evangelicam, ac postea.

Respondeo negando sequelam, nunc enim dicitur 103 Matrimonium infidelium, per conversionem alterius conjugis ad fidem, ex privilegio & dispensatione Christi, quam colligit sufficienter Ecclesia ex verbis Apostoli supra relatis, pro statu legis gratia, non vero pro statu legis scripta. Rationes autem que afferuntur in objectione, non sunt demonstrative, sed tantum quadam congruentie, que supposita existentia rei de qua est questio, illam declarant.

Objicies tertio contra secundam conclusionem illud Ambrosii in cap. 7. Epist. 1. ad Corinth. *Contumelia Creatoris solvit jus matrimonii circa eum qui relinquitur.* Quibus verbis docere videtur Matrimonium fidelis converti cum infideli nolente converti, dissolvi statim atque ille convertitur ad fidem, & suscipit sacramentum Baptismi.

Sed præterquam quod dubium & incertum est, an commentaria illa sint Ambrosii, facile responderetur, sensum horum verborum esse, contumelia Creatoris solvi jus Matrimonii casualiter vel occasionaliter; quia dat jus & potestatem converso illud dissolvendi formaliter per aliud Matrimonium, quod valide cum alio contrahere potest.

DISPUTATIO VI.

De bonis Matrimonii.

Ad questionem 49. supplementi.

Explicata præcipua Matrimonii proprietate, que est ejus indissolubilitas, consequens est, ut de triplici ejus bono differamus, & que docet S. Thomas quest. 49. supplementi, breviter explicemus.

ARTICULUS UNICUS.

An & que bona necessaria sint ad excusandum Matrimonium?

Dico primo: Aliqua oportuit esse bona, ut Matrimonium excusaretur, & fieret prudenter eligibile. Ita D. Thomas hic art. 4.

Probatur ratione quam ibidem expendit: Nullus sapiens debet aliquam iacturam sustinere, nisi cum recompensatione æqualis vel majoris boni: Sed per Matrimonium plura incuruntur damna & incommoda. Ergo ut redderetur honestum & prudenter eligibile, aliqua bona requiruntur, quibus damna illa & incommoda compensentur & reparentur. Major constat; Minor probatur, damna illa & incommoda referendo. In primis ergo in actu Matrimonii iactura quedam rationis incurritur, quippe que per nimiam voluptatem absorbetur, ut ait Philosophus lib. 7. Ethic. cap. 11. circa finem. Unde in illo actu, homo, ut inquit S. Thomas, fit totus caro, & assimilatur equis & mulis, quibus non est intellectus. Hinc Hieronymus Epist. 11. que est de monogamia, super hæc verba, que de seipso dicit Eszechiel, *Mortua est uxor mea, & aperitum est os meum, sic ait: Nec desideras uxorem, nec ille qui desiderat, possunt in opere conjugali libere propinquare.* Quod rursus arguit libro 1. contra Jovinianum cap. 18. ex eo quod Propheta nisi tangente corda Spiritu Sancto non prophetaret, & in actu conjugali Propheatarum corda Spiritus Sanctus non tangat. Et c. 28. hæc scribit: *Fertur Avernius Theophrasti liber, in quo querit, an sit sapiens ducas uxorem? Et cum desinisset si paltera esset, nec bene mortua, si honestis parentibus, si ipse sanus ac divus: sic sapientem aliquando inire matrimonium, statim inferi: Hæc autem in nuptiis raro universa concordant: non est ergo uxor ducenda sapiens.* Et causam subdit, dicens: *Impediendi studia Philosophi per conjugium, nec posse quemquam libris & uxori pariter inservire.*

Addo

Ad do quod per usum Matrimonii non solum ratio abforbetur, sed etiam corpus viri multum debilitatur, omnesque illius sensus obtunduntur, ut quidam belle his verbis expressit.

Femina corpus, opes, animum, vim, lumina, sensus destruit, annihilat, necat, eripit, orbis, acerbat. Hoc sensu Cajetanus in c. 2. Genesis exponit id quod dicitur de formatione Evae ex costâ Adami dormientis Genes. 2. versu 21. Vult enim id metaphoricè intelligendum esse, & non alio pertinere, nisi ad significandam diminutionem roboris ex corpore viri, propter usum conjugii. Mulier vero, licet ex actu conjugii tantam non patiatur virum diminutionem, quam vir, adeo tamen graves & acerbos in partu patitur dolores & cruciatus, ut Proph. dolores inferni similes esse doloribus parturientis dixerit Psal. 47. Ibi dolores ut parturientis.

Secundum Matrimonii incommodum est nimia sollicitudo placendi conjugii, suscipiendi & educandi liberos, illique providendi in futurum. Propter quam Apostolus 1. ad Corinth. 7. dicit conjuges habere cor divinum, id est non integrè & perfecte Deo addictum, dum cogitant quomodo alter alteri placeat, & solliciti quae sunt mundi. Et idem eandem sollicitudinem vocat tribulationem carnis, quae a conjugio, secundum statum presentem naturae lapsa, est moraliter inseparabilis.

Tertium conjugii incommodum est quod perpetuum quandam subjectionem & servitutem secum affert, juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 7. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Et rursus. Alligatus es uxori? Noli quovis solvationem. Quam alligationem, mutuatque subjectionem, servitutis nomine ibidem exprimit, dicens non eam tam strictè obligare, ut teneatur conjugii fidelis manere cum altero conjugio infideli, nolente cohabitare pacifice: Non enim servituti subiectus est frater aut soror in hujusmodi. Haec & alia Matrimonii incommoda eleganter describit Sixtus III. vel Auctor libri de castitate, qui habetur tomo 5. Bibliothecae Patrum, pag. 630. editionis Parisiensis. Eaque perstringitur cap. ult. de convers. infidel. ubi Matrimonium dicitur ante paritatem conjugum, doloresum in partu, post partum laboriosum.

Dico secundò, Tria sunt praecipua Matrimonii bona ratione quorum honestum redditur, & prudenter eligibile, nempe bonum prolis, bonum fidei, & bonum sacramenti. Ita S. Thoma hic art. 2. post D. Augusti lib. 9. super Genes. ad litt. cap. 7. ubi scribit: Nuptiale bonum tripartitum est, scilicet fides, proles, & sacramentum. In fide attenditur, ne praeferat vinculum conjugale cum altero vel altera concubatur. In prole ut amorem suscipiatur, benignè nutriatur, religiose educetur. In sacramento autem, ne conjugium non separetur, & dimissus aut dimissa, nec contra proles alteri conjugatur.

His tribus bonis compensantur tria mala & damna supra recensita, quae conjugium secum affert. Nam detrimentum iacturae rationis & diminutionis virium corporis in usu conjugii, compensatur bono prolis, id est procreatione liberorum, quibus genus humanum conservetur, & Deus perpetuo colatur, in quem praecipue finem optandi sunt, ut ait Plato lib. 9. de legibus in haec verba: Operes parentes gignere & educare liberos, qui vitam tamquam lampadem posteris tradant, ut sint semper aliqui Deum colentes juxta ipsius legem. Hinc Justinianus Imperator Novella 32. in principio ait, quod Matrimonium sic est honestum, ut humano generi videatur immortalitatem artificiosam introducere, & ex filiorum procreatione renovare genus humanum. Et Novella 39. in fine proemii; Nuptiis, inquit, nihil est hominibus utilius, tamquam solis facere homines valentibus. Item Justinianus minor Novella 2. in principio haec scribit: Nihil in rebus mortalium perinde venerandum est, atque Matrimonium, quippe ex quo liberi, omnesque deinceps sobolis series existat, quod regiones atque civitates frequentes reddat, inde denique optima Republica cogmentatio fiat. Demum Ambrosius libro 1. super Lucam, Divinum, ait, minus est facultas parientis. Agant itaque parentes gratias, quia generaverunt; filii quia generati sunt: matres, quia conjugii praemio honorantur. Verba in Dei laudem terra, quia colitur; mundus, quia cognoscitur; Ecclesia, quia devota numero plebis augetur.

Aliud detrimentum sollicitudinis placendi conjugii, & providendi liberos, compensatur bono fidei, id est obligatione fidelitatis ad reddendam debitum conjugale, petendum legitime, negandumque corporis suscipium cuiusque alteri.

Denique detrimentam subjectionis & servitutis compensatur bono sacramenti, id est vinculi indissolubilis, quo conjuges representant conjunctionem Christi cum Ecclesia, tenenturque se mutuo diligere, sicut Christus dilexit Ecclesiam; sumitur enim hoc sacramentum pro vinculo Matrimonii, quod res & sacramentum vocatur. Quamquam etiam multo magis compensatur haec servitus bono sacramenti proprie sumpti, pro signo efficaci gratiae; quatenus sanctificat conjuges, datque illis auxilia superna.

turalia ad se mutuo diligendum, praestandaque suavit & fideliter cetera munia Matrimonii.

Adverte autem, quod licet sacramentum Matrimonii, in ratione signi practici, teneat infimum locum inter omnia sacramenta, eo quod nimirum minus participet de ratione spiritualis vitae ad quem ordinatur sacramenta, atque adeo minimum gradum gratiae inter illa contineat; in ratione tamen signi speculativi, & ut sacramentum rerum symbolum, cetera sacramenta longe superat, in triplici significatione, qua praecipua Religionis nostrae mysteria representat; significat enim unionem Verbi cum humanitate, conjunctionem Christi cum Ecclesia, & castissimum sequus Dei cum anima, quam hic sibi per fidem desponsat, ut dicitur Osee 2. & per visionem beatam in aeternum in caelo sibi copulat. Hoc autem ita esse voluit Christus, tum ut magnitudine sacramenti, & mysterii, damna & nocentia quae secum affert matrimonium compensaret: tum etiam, quia cum matrimonio maxime deiciat mentes hominum, praesertim ratione popule carnalis, quae ut supra dicebamus, rationem abforbet, & hominem brutis & peccadibus similem reddit, elevare se possent homines conjugat ad contemplanda praecipua illa fidei postea mysteria & sacramenta, quae per matrimonium representantur, & per talem contemplationem Angelis assimilari, ut fufius in hujus tractatus praefatione expendimus.

Ex dictis intelliges, gravissimum esse adulterii crimen, cum tria praedicta matrimonii bona penitus destruat, illique directe adversetur, violat enim fidem conjugii, tollit certitudinem prolis, & sacramenti mysticam significationem, cum dividat carnem in plures, & membra Christi faciat membra meretricis. Unde non solum temperantia, sed etiam iustitia, & religioni contrariatur, & triplicem horribilem deformitatem, velut triplex Cerberi caput, monstrum illud in se continet, tamque immane est ut Chrysolomus homil. 62. in Joann. illud comparet cum idololatia, & nefcio quid majoris gravitatis in violatione conjugii agnoscat, ex eo quod Paulus virum infideli uxori cohabitare permiserit; adulterium vero dimittendi copiam faciat, immo ut ipse Chrysolomus exilimat, etiam suadet. Item Nicolaus I. Epist. 49. circa finem, & ad consula Bulgarorum c. 51. homicidio comparat, gravius longe sentit esse adulterium. Verba eius sunt: Denique hoc tam immane scelus est, ut homicidii quidem peccatum, quod Cain in Abel fratrem suum commisit, septima generatione, Cascaffoo vindictam fuerit, adulterii autem flagitium, quod Lamech omnium primus in duabus uxoriibus perpetravit, non nisi sanguine Christi abolitum extiterit, qui septima & septagesima generatione secundum Evangelium luxurii in mundum.

Intelliges etiam, non solum illam, sed & pervertam esse quorundam recentiorum sententiam, quae affert, copulam cum conjugata non esse adulterium, si maritus consentiat: Adulterium enim, sicut ipsum nomen sonat, est accessus ad alterum thorum unde sola tria alienitas, ut ita loquar, attendenda est, quando de adulterio quaestio proponitur: Sed maritus suo consensu efficiere non potest, ut suus thorus non sit alienus comparatione cuiusvis tertii ad suam conjugem, non sit adulterium.

Ad do quod, licet talis concubitus non sit injuriosus marito volenti & consentienti, est tamen injuriosus proli, quae incerta redditur ex parte patris, & sacramento, cuius sanctitas violatur, & significatio sacra, per divisionem carnis conjugalis in plures, destruitur. Unde non minori severitate in jure Canonico puniuntur uxores quae adulterant consentiente marito, quam quae, ipso ignorante & non consentiente, tale crimen committunt, ut constat ex Concilio Illyberitano cap. 70. ubi sic dicitur: Si consensu marito & consentiente, fuerit uxor maritata plucuit nec in sine eis dandum esse communionem; si vero eum reliquerit, & separati fuerint, post decem annos accipiant communionem.

His resellitur impurissimus & insanissimus Gnosticorum error, qui teste Epiphano heresi 26. lauta & opipara convivium amicis exhibere solebant; quibus peractis, non solum consentientibus, sed etiam praecipue maritis, uxores cum extraneis misceri solebant: Larga (inquit) & opipara edulia carnis esum, & vini potum apponunt, etiam si pauperes fuerint. Ex hoc autem ubi comparatur, & venas satietate implerent ad astrum se converterent; & sic quidem concedens uxorem alteri, ait ad ipsam: sarge & fac dilectionem cum fratre.

Idipsum licere gravissimi viri Cato & Socrates olim existimant, & suo exemplo comprobant. Cato enim uxorem suam Mariam, Hortensii domum filii impleturam, tradidisse Augustinus refert lib. de do no conjugali cap. 18. Et lib. de fidel operibus cap. 7. Socratem, uxorem suam, tamquam armenti matricem, amico suo, ad propagandum sobolem, tradidisse scribit. Unde utriusque sapientiam lepidissime deridet Terullianus.

nus in Apologetico cap. 39. his verbis: O sapientia Atrica; & Romana gravitatis exemplum! Leno est Philosophus & Confors.

Denum non erit Lectori inutile, nec forsitan injucundum, si hic referam historiam quae sub Constantii temporibus accidit, & describam qua S. Augustinus lib. 1. de sem. Domini in monte cap. 16. scribit: Sed ramen (inquit) verum quod ait Apostolus, Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir, similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier, posse in tantum valere ut permittente uxore, quae maritalis corporis potestatem habet, possit vir cum altera, quae nec aliena uxor sit, neque a viro disjuncta, concubere. Sed non ita est existimandum ne hoc etiam femina viro permittente facere posse videatur, quod omnium sensus excludit. Quamquam nonnulla causa possint existere, ubi & uxor mariti consensu, pro ipso marito hoc facere debere videatur, sicut Antiochus factum esse perhibetur ante quinquaginta ferme annos, Constantii temporibus. Nam Acindinus tunc Praefectus, qui etiam Consul fuit, cum quendam libere auri debitorem sciret exigere, nefcio unde commotus, quod plerumque in istis potestatis perniciosa est, quibus quolibet licet aut potius putaret licere, comminatus est jurans, & vehementer affirmans, quod si certo die quem constituerat, venerat uxor non exolveret, occideretur, itaque cum ille teneretur immani custodia, nec se posse debito illo exolvere dicit metuentibus imminere & propinquare capiti. Et forte habebat uxorem pulcherrimam, sed nullius potentia, qua subvenerit posse viro. Cuius mulieris pulchritudine, cum quidam dices esset accessus, & cognovisset maritum ejus in illo discrimine constitutum, misit ad eum, sollicitus pro una nocte si ei misceri vellet, se auri libram daturum. Tunc illa, quae se fecerit, non habere viri corporis potestatem, sed virum suum, perculit ad eum dicens, paratum esse se pro marito id facere, si tamen ipse conjugatili corporis dominus cui tota illa castitas deberetur, tanquam ad se sua, pro viro suo vellet id fieri. Egit ille gratias, & ne jam foret, impetravit, nullo modo judicari adulterium esse, concubium quod & libidinis nulla & magna mariti caritas, se jubente & volente, rogaverat. Venit mulier ad virum illius divitiis, scit quod vult impudicus, sed illa corpus non nisi marito dedit, non concubere, ut solet, sed videri cupienti. Accipit aurum, sed ille qui dedit, fraude subtrahit quod dederat, & suppedit simile ligamentum cum terra: quod ubi mulier jam domi sua posita invenit, prostravit in publicum eadem mariti caritate clamorosa quod fecerat, & sic facere coacta est. Interpellat Praefectum, fatetur omnia, quam fraudem passa esset, offendit. Tunc vero Praefectus primo se reum, quod suis misit ad id veniens esset, pronuntiat, tanquam in alium sententiam diceret, de Acindini bonis auri libram sciret inferendum: illam vero mulierem dominam in eam terram, unde pro auro terram accepisset, induci. Nihil hic in alteram partem disparto, licet unicuique affirmare quod velit, non enim de divinis auctoritatibus deprehensa historia est, sed tamen negare hoc factum, non ita respicit hoc sensus humane, quod in illa muliere viro vivo esse commissum est, quemadmodum antea, cum sine illo exemplo res ipsa poneretur, horruimus. Haec Augustinus.

Colligitur etiam ex dictis tria praedicta matrimonii bona, non solum exculare actum conjugalem licitum cum reddendo, & bonum, verum etiam sanctum, est etiam bonum ratione prolis, & fidei; sanctus autem, ratione Sacramenti, quatenus significat conjunctionem Christi cum Ecclesia. Ita S. Thomas hic art. 4. ubi sic ait: Dicitur aliquis humanus actus bonus dupliciter: uno modo bonitate virtutis, & sic habet actus quod sit bonus ex his quae ipsam in medio ponunt, & hoc faciunt, in actu matrimonii fides, & proles. Alio modo bonitate Sacramenti, secundum quod actus non solum bonus, sed etiam sanctus dicitur: & hanc bonitatem habet actus matrimonii ex indivisibilitate conjunctionis, secundum quam significat conjunctionem Christi ad Ecclesiam.

Denique cum eodem S. Doctore ibidem art. 4. colligitur, peccare conjuges in actu conjugali, saltem venialiter, nisi convenienti causa procreandae prolis aut debiti reddendi. Idem docet Augustinus lib. de bono conjugali c. 6. his verbis: Conjugalis concubitus generandi gratia, non habet culpam: concupiscentia vero satiana, sed tamen cum conjugis, propter fidem thori, veniale habet culpam. Etc. 7. Reddere debitum conjugale (inquit) nullus est criminis, exigere autem ultra generandi necessitatem, est culpa venialis. Et lib. 2. contra Julian. cap. 10. dicit, conjuges contrahere unde quocumque dicant, dimitte nobis debita nostra, quando modum generationis necessarium, causa solus voluptatis, excedant. Similia habet Gregorius Magnus 12. Moral. c. 17. alias 20. ubi haec scribit: Tunc solum conjuges in admixtione sine culpa sunt, cum non pro exultanda libidine, sed pro suscipienda prole miscerentur.

Observandum etiam est cum S. Thoma hic art. 6. peccare mortaliter cum qui cognoscendo uxorem, non intendit aliquod bonum matrimonii, ita scilicet ut aliquis in conjugem non attendat, quod conjux est, sed solum quod mulier, paratus idem facere cum ea, si non esset con-

jux. Eoque sensu intelligendum est, quod dicitur Tobie 6. Et namque qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se & a sua mente excludant, & sua libidine ita vacent sicut equus & mulus quibus non est intellectus: habet potestatem damnationis super eos. De his etiam loquitur Hieronymus cum ait Lib. 1. adversus Jovinianum: Nihil interest quam ex honesta causa quis insanias. Unde & Xystus in sententia: Adulter est in suam uxorem amator ardentior. In aliena quippe uxore omnis amor tepidus est, in sua nimius. Sapienter viri iudicio debet amare conjugem, non affectu. Reges impetus voluptatis, nec praecipere feruntur in coitum. Nihil est sceleris quam uxorem amare quasi adulteram.

DISPUTATIO VII.

De impedimentis Matrimonii in communi.

Ad quaestionem 30. Supplementi.

Explicata essentia Matrimonii, ejus causis, & proprietatibus, tribusque bonis quae secum affert, quibus tria mala seu nocentia quae inferit, reparantur; superest ut de impedimentis Matrimonii differamus. Sed antequam de illis in particulari agamus, & qua sint impedimenta prohibentia ac dirimentia exponamus, prius declarandum est, apud quem resideat potestas talia impedimenta constituendi. Unde sit:

ARTICULUS UNICUS.

Penes quem sit potestas opponendi impedimenta Matrimonii?

Haeretici hujus temporis negant hanc potestatem esse penes Ecclesiam: plures vero ex Catholicis existimant, Principes Christianos non habere potestatem constituendi suis subditis fidelibus impedimenta Matrimonii dirimentia. Ita Canonista, D. Bonaventura, Richardus, Paludanus, Pontius, Sylvius, & alii. Oppositum docent Dominicus, & Petrus Soto, Bellarminus, Henricus, Conink, Sanchez, & alii.

S. I.

Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur.

Dico primo, esse in Ecclesia potestatem ad constituendum impedimenta Matrimonii dirimentia. Conclusio est certa de fide, ac definita in Tridentino sess. 24. can. 4. ubi ferit inane Novatores dicentes Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonii dirimentia, vel in illis constituendis errasse. Et in decreto de reform. Matrim. cap. 1. irritat de facto eorum contractus qui post debitam illius decreti promulgationem clandestine contraxerint. Item ante Tridentinum in Concilio Provinciali Senonensi sub Clemente VII. in decretis fidei cap. 17. inter errores damnatos referitur iste: Ecclesia non potest illegitimare aliquas personas, sic quod non potest contrahere Matrimonium. Constat etiam ex consuetudine Ecclesiae universalis, contra quam disputare insolentissimum est insanie, ut ait Augustinus Epist. 118. illa enim Matrimonio multoties impedimenta constituit, ut ex his quae infra de unoquoque impedimento dicemus manifestum erit.

Ratio etiam suffragatur: cum enim pax & tranquillitas Republicae magna ex parte ex bene intis concubibus pendeat, & contra ex male copulatis conjugibus magna in ea turbatio oriri solet, in omni Republica bene ordinata, necessaria est potestas ad providendum abutibus qui in Matrimonii possunt contingere; & statuendi Matrimonii impedimenta, quibus stantibus, valide contrahi nequeat: Ergo talis potestas non debet denegari Ecclesiae; quae est Republica bene ordinata, ne deterioris conditionis sit, quam reliquae saeculares, quae hanc potestatem habent ut ex variis earum legibus de ritu nuptiarum constat. Idem confirmat praxis ipsorum haereticorum, quavis aliqui contra Ecclesiae prohibitiones & constitutiones Matrimoniales declament; aliqua tamen confirmant impedimenta Matrimonii, quae neque jure naturali, neque divino posita erant, ut in Gebennensis Ecclesiae statutis videre est.

Haec vero potestas Ecclesiae non se extendit supra infideles sibi non subiectos, ut constat ex cap. Gaudemus de divortis, ubi Innocentius III. docet paganos legitimum contrahere Matrimonium in gradibus ab Ecclesia prohibitis, quippe qui constitutionibus Canonice non ardentur, ut ait Pontifex. Idque confirmat ex illo Apostoli 1. Cor. 5. Quid mihi de eis qui foris sunt iudicare? Sunt tamen aliqui qui esse existunt, impedimenta Matrimonii haecenus ab Ecclesia statuta, ad infideles non se ex-